

Petrus de Vinea

*Ep. V 38 (Ad nostrae maiestatis
presentiam accedens...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 38 (Ad nostrae maiestatis
presentiam accedens...)*

1240?

Quod prouideatur cuidam presbytero de uacantibus prouentibus.

1. Ad nostrae maiestatis presentiam accedens A. de ..., presbyter, fidelis noster, nostro culmini humiliter supplicauit, ut, cum ipse in quadam ecclesia de... ad honorem et fidelitatem nostram feliciter commoretur, deditus et intentus diuinis seruitiis exequendis, et alii clerici, qui secum in ipsa ecclesia residebant, tamquam infideles Perusium accesserint, et cum ipsis rebellibus nostris iugiter conuersentur, ac ipsius ecclesiae et aliarum ecclesiarum uacantium eiusdem castri prouentus ex concessione nostra ad Commune eiusdem castri deuenerint, annuatim sibi pro suae uitae sustentatione diuino intuitu prouidere misericorditer dignaremur. 2. Nos itaque ipsius postulationibus benignius inclinati, fidelitati tuae precipiendo mandamus, quatenus, si est ita, memorato presbytero ab uniuersitate dicti loci de bonis et prouentibus eiusdem ecclesiae, in qua se asserit residere, facias in necessariis prouideri, prout honori nostri culminis et qualitati negotii uideris expedire.